



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

V. De gratitudine animæ, pro omni bono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

2. Ille autem amplius placet Deo, qui profundius se humiliat; et ferventius ipsum amat.

Homo
pius un-
de beatus
censen-
dus.

Beatus, qui se viliozem omnibus reputat; et caret omne, quod Deo displicere cognoscit.

Beatus, qui propter Deum et beneplacitum eius, totum opus suum facit ex charitate, cum pura intentione; et quicquid boni cogitat, hoc ad Dei honorem et laudem et gloriam integre refert.

Beatus, qui nil sibi retinet, sed totum Deo libere reddit, quod à Deo accepit.

CAP. V. De gratitudine animæ
pro omni bono.

Psal. 33.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Ille magnifice Deum laudat, qui de minimis etiam beneficiis gratias maximas agit; quia ille dat, qui super omnia maximus est.

Inter be-
neficia
Dei nullū
vile.

Nil tibi parvum nec vile esse debet, quod Altissimus tibi ex gratia libere præstat. Non quærit Deus aliquid magis, quam ut gra-

gratis ametur, & omnis offensa caveatur, atque gratitudo semper et ubique ei reddatur.

Magnus coram Deo est, qui se ex vera humilitate spernit et substernit; et omnibus bonis et beneficiis indignum se iudicat; nec in aliquo bono vane exultat, nec laudem concupiscit.

2. Major tamen ille, qui sicut Job percussus, contemptus, convitiatus, depauperatus, neglectus, tentatus, afflictus, derisus, et confusus gratias agit, lætatur, et benedicit: et omnia gravamina et exilia sibi contingentia pro maximis lucris computat, et propter Deum sustinet, et conqueri cessat.

Beatus qui virgam doloris, sicut Job. de manu Dei pie accipit, et totaliter voluntati divinæ se offert et committit.

Beatus, qui hoc semper querit, et eligit, quod Deo magis placet, et pro deliciis vilia capit; et læsus lætior manet, et damnatum temporale animæ lucrum reputat.

Iob. i.

Gratum
esse in
adversis
Deo gratissimum.